

47

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QVA

**OBSERVATIONES
CHIRURGICAS
MEDICO PRACTICAS**

PRÆSIDE

**D. MART. GOTTHELFF
LOESCHERO**

PHYS. PROF. PVBL. ORDINAR. MED. EXTRA-ORD.
EIVSDEMQUE FACULT. ASSESS. NEC NON SERENISS. DVC.
SAXO-VINAR. PHYSICO PROVINCIALI

PRO LICENTIA

*SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
LEGITIME CONSEQVENDI*

P. P.

GEORGIVS PHILIPPVS SAUBER
ROTENBURGO - TVBARINVS

AD DIEM XIII. JUL. A. R. S. MDCCXXIII.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

VITEMBERGAE, LITERIS VIDUAE GERDESIAE.

Chirurg.
161, 54

11

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]

DISSERTATIO INAUGURALIS EXHIBENS

OBSERVATIONES

CHIRURGICAS MEDICO PRACTICAS.



Studium observandi, quod in Arte Salutari inter antiquiores Hippocrates, et inter recentiores Baglivus et Hoffmannus, summopere commendaverunt et excoluerunt, nos excitavit, ut, dum in praesenti Dissertatio Inauguralis sit conscribenda, apud animum constituerimus, Observationes quasdam Chirurgicas et Medico Practicas exponere. Operae enim pretium fore existimamus, speciminis loco rariores hos casus cum publico communicare, utpote qui Praxin aequae atque Chirurgiam Medicam optime illustrant, et futuro Practico in Medicina facienda apprime sunt necessaria. Nolumus vero hoc nostrum, quod conficimus, negotium, quoniam sua luce radiat, multis laudibus extollere, potius ipsam aggredimur rem, nec non nostras observationes, quas ut B. L. aequi bonique consulat, maiorem in modum rogamus.

OBSERVATIO I.
VULNVS ABDOMINIS PROFVNDVM
SINVOSVM ET TORTVOSVM FELICITER
CVRATVM.

Vulnera abdominis pro variis visceribus, quae eius cav-
 vitatem occupant, magis vel minus sunt periculosa,
 adeoque Medici, qui de iis in foro pronunciant, sunt
 monendi, ne de iis promiscue et oscitanter iudicent, et
 si aliquando eiusmodi vulnera sanantur periculosissima,
 a particulari ad universale argumententur, atque vulnera
 abdominis lethalia, pro minus mortem inferentibus, no-
 vitatis et gloriae studiosi pariter atque cupidi venditent.
 Vir quidam consistentis aetatis, robustusque, ense de
 nocte atque de improvise perfodiebatur ita, ut cum ma-
 gna sanguinis profusione in terram decideret, et instar
 demortui ad suos deportaretur. Nos ad ipsum vocati,
 deprehendebamus, ipsum laborare lipothymiis, anxietati-
 bus praecordiorum, summo languore, aliisque gravio-
 ribus symptomatibus. Quo viso applicabamus optima
 excitantia et confortantia, eodemque resuscitato, visitaba-
 mus vulnus inflictum cum cautione et decenti industria.
 Illud conspiciebamus gladio tenuissimo et gracili fuisse fa-
 ctum, qui supra regionem pubis aliquot digitos infra um-
 bilicum penetraverat, atque vesicam urinariam attingens,
 eiusdemque substantiam membranofam exterius laedens,
 deinde inter interstitia musculorum abdominis, per fora-
 men ossis pubis, musculosque femoris in summo cluni-
 um dextrarum sese insinuauerat, atque orificium vulne-
 ris

ris

ris inferius quoad exteriora corporis tendens effecerat. Vesicam vero urinariam fuisse laesam facile coniiciebamus, ex dolore ingenti circa eius regionem, post leuissimam turundarum in superiori vulneris orificio intrusionem, difficultate urinae, et intensissimis circa hoc viscus cruciatibus. Accedebat febris vulneraria cum haemorrhagiis, deliriis, lipothymiis, gravissimisque torminibus, quae Symptomata circa diem nonum cum vitae periculo ingravescebant. Nos vero animum non despondebamus, sed intrepide in curando, in maximo vitae periculo versante vulnerato, progrediebamur adeo felici cum successu, ut sensim paulatimque Symptomata gravissima periculosissimaque remitterent, et per divinam gratiam in totum cessarent. Remanebat vero metus exulcerationis sinuosae, fistulam quam Chirurghi appellare solent, propter profunditatem, sinuositatem longissimi huius et exulcerati vulneris. Verum enim vero et hanc calamitatem decenti administrata medela ex voto exuperavimus, atque vulneratus in hunc usque diem sospes incolumis, ac ab omni malo liberatus existit, et pancreaticè vivit. Curatio itaque insignis huius, et cum summo vitae periculo coniuncti vulneris erat talis. Primo nota applicabamus excitantia interna aequè ac externa, nempe aquam apoplecticam nervinamque et vulnerariam nostram optimae indolis ac virtutis, pro re nata volatilibus et roborantibus acuatam, et iuxta methodum medendi sedulo admotam. Deinde dedimus Balsamum vulnerarium internum et externum, Decocta vulneraria et sanguinem purificantia, Essentias Traumaticas, Theriacales, Bezoardicas, Balsamicas. Contra febrim in specie Vulnerariam, cum qua maximo cum vitae periculo conflictabatur, propinavimus po-

tiones ex aquis refrigerantibus, Theriacalibus, Cordialibus et confortantibus, nec non pulvere Pannonico, Cephalico M. Bezoardico Sennerti, contra Casum resolvente. Atque quoniam ob vulneris profunditatem, tortuositatem et sinuositatem, fistulam metuebamus, inter alia etiam iniectiones ex herbis amaris et putredini resistantibus, cum Essentia Myrrhae, Croci, Balsami Peruviani, vulneraria et Balsamica ordinavimus, non neglectis universalibus alterantibus et evacuantibus.

OBSERVATIO II.

SPINA VENTOSA.

Iuvenis ex vulnere in dorso male curato, incidebat in Ulcus fistulosum, quod post aliquot tempus a consolidato vulnere de improvise et sua sponte prorumperebat. Sequebatur Tabes totius corporis successiva cum Cachexia et febre hectica, respiratio difficilis, sensus ponderis in pectore huc illuc decumbentis, languor virium, appetitus prostratus, et totalis intestinorum atonia, ut feces etiam inscius deponeret, neque quoque poterat lotium rite continere, et per tussim magnam materiae purulentae tenuioris copiam reiiciebat. In pedibus apparebant tumor oedematosus, ulcera ferescentia cum marginibus et extremitatibus primo rubicundis deinde puniceis et tandem livescentibus. Tandem gravissimis laborabat Symptomatibus, lipothymiis, palpitationibus cordis, anxietatibus praecordiorum, vigiliis, deliriis, usque dum licet praestantissima quotidie acciperet remedia, vitam cum morte

morte

morte commutaret. Impetrabamus sectionem Cadaveris demortui, et in pectore conspiciebamus pulmones sanguinis cruore turgidos, et maculis formosis quasi ornatos. In pericardio inveniebamus lympham crassam obscurioris coloris, quae post aliquod temporis interval- lum instar aquae hydropicorum, vel albuminis ovorum corrupti coagulabatur, unde forte cordis motus palpitan- tes exoriebantur, et ipsa cordis machina nec guttam san- guinis continebat, et flaccida atque attenuata invenie- batur, multisque referta erat scirrhescentibus tumoribus. Iisdem et similibus scirrhis scatebant Hepar pariter atque Lien, et haec viscera infarctu quodam duro et fere lapi- deo erant distenta, bilis vere aquosa atque iners in vesica fellea continebatur. Intestina tenuiora et flaccida, in aqua crassiori, impura, coagulabili, et foetida quasi fluctu- abant, id quod procul dubio eorum tonum depravabat, et difficultatem retinendi feces producebat, praesertim cum nervi ex medulla spinali huc pertinentes propter spi- nam dorsi exulceratam, excavatamque non faciebant of- ficiam. Eandem quippe spinam dorsi dum perlustraba- mus, deprehendebamus, ipsam ab ichore contento peni- tus corrosam, intus cavam atque ferme omni medulla orbatam, ex qua compressa materia purulenta per multa foraminula, quibus erat pertusa, promanabat, quam po- tissimum in cavitate Thoracis fluctuantem observabamus, quae dispnoeam adjuvante cruore sanguinis in pulmoni- bus restitante, uti supra indicavimus, efficiebat.

OBSER-

OBSERVATIO III.

NYCTALOPIA SEV VISIO IN LVCE
PLENA DOLENS, ET IN TENEBRIS
INTEGRA.

Hunc affectum et statum visionis praeternaturalem in multis aegrotantibus, maxime in aetate teneriori constitutis, observavimus. Liceat itaque, speciminis loco, unicum tantummodo in medium proferre exemplum. Puer novem et quod excurrit annorum, lucem meridiana non tantummodo fugiebat anxie, verum etiam, si eandem aspicere necesse habebat, ipsam nulla ratione ferre poterat, sed latibula et loca quaerebat obscura, in quibus melius se habebat, oculorumque acie haud vulgari obiecta contemlabatur. Oculi vero subinde, praecipue luce serena collacrymabant, et in tunica albuginea rubedine erant tincti. Causa huius morbi erat oculorum constitutio tenerior, pupilla nimis ampliata, et humor acris ac serofus in oculorum substantia pariter atque circa eam turgens. Namque lux clara et serena nimium per teneriores oculos, et in maiori copia per pupillam ampliorem et laxiorem penetrabat in oculos, ibidemque lympham acrem exstimulabat, atque intolerantiam lucis nec non dolores in iisdem excitabat. Quapropter curam huius aegrotantis ita felicissimo cum successu adornabamus. Primo enim dedimus optima antiscorbutica, nempe Essentiam Lignorum, Tincturam antimonii, Essentiam Cephalicam, Rorismarini, Ligni Aloes, pulveres
tem-

temperantes ex Cryſtallo, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, terra foliata Tartari, Cinnabari et oſſibus ſepiae, ſpecies pro Thea ex herbis antiſcorbuticis et opthalmicis. Inter purgantia mira praestabat Elixirium noſtrum purgans, et Tragaea ex pulvere gialappae, reſina ſcammonei et Elaeoſacharo aniſi. Externe collyria applicavimus, ex aqua Chelidonii maioris, florum cyanos, roſarum, quibus pro indicantium ſvaſu Tutiam praeparatam, Vitriolum album, Sacharum canarienſe et Saturni, aliaque admixcuimus. Imperavimus etiam Veſicatoria, et praecautioſis ſine, iuxta methodum Chirurgicam, adminiſtrare fonticulum.

OBSERVATIO IV.

VULNUS CAPITIS EXPLOSIONE BOMBARDAE MINORIS EIVSDEMQUE GLOBVLIS PLUMBEIS MINORIBVS SVMMA VEHE- MENTIA INFLICTVM, FELICITER CVRATVM.

Vir quidam in aetate confirmata conſtitutus, de im-
provifo obviuſ erat, icſtui vehementiſſimo ſclopi in-
feliciter exploſi, atque eodem affectuſ in terram concide-
bat inſtar demortui, abſque omni ſenſu et motu cum e-
normi haemorrhagia narium, aurium et faucium, et fe-
re totiuſ faciei, quippe quam capituli anteriorem partem,
maxime vero frontem icſtus ſclopeti occupabat. Interiuſ

B

cere-

cerebrum sine dubio vehementer erat commotum, id quod ex procidentia in terram, aphonia, animi deliquiis, stillicidio sanguinis per aures et nares satis superque apparere potest, inprimis quoniam Lipothymiae per multas horas absque intermissione durabant. His vero post applicationem praestantissimorum medicamentorum remittentibus, et tandem penitus cessantibus, succedebat febris vulneraria, haemoptysis, difficultas respirandi, dolor capitis ingens, isque profundus, inter quae gravissima Symptomata etiam insultus epilepticos, singultum et vomitus observabamus. Facies ex hoc vulnere ita intumescebat, ut naturalem eiusdem delineationem nemo cognoscere potuisset. Globuli minores sclopeti profundius sese insinuaverant, et poteramus in inquisitione vulneris stylo cranium tangere denudatum, ac in eodem foveas et depressiones facile deprehendere. Huic vulnerato sequenti ratione medicinam faciebamus. Ante omnia eidem venam incidere curabamus, et postea sequentia propinabamus remedia, nempe Essentiam Vulnerariam, Theriacalem, Myrhae, Succini, Croci, Liquorem cornucervi succinatum, Spiritum Bezoardicum, potiones ex aqua ceraforum, sambuci, florum Tiliae, rubi idaei, prophylactica Sylvii, Theriacali frigida, cordiali H. S. aceto stillatitio, Cornucervi philosophico, lapidibus cancrorum, Ebore sine igne, dente equimarini, margaritis praeparatis, Coralliis, Unicornu, pulvere bezoardico Ludovici, epileptico, marchionis, Specifico Cephalico Michaelis, cinnabari, Spermate ceti, pulvere contra casum, succino. Porro misturam ex aqua Chaerefolii, Veronicae, foeniculi, Magnesia alba, pulveres ex lapidibus per-

percarum, mandibulis lucii piscis, cinnabari, arcano duplicato, nitro antimoniato propinavimus. In potu et iusculis commendabamus frequentem usum Gelatinae cornu cervi et Eboris, aliaque quorum usus ex Praxi factis notus. Externe derafis capillis capiti admovebamus Spiritus resolventes, Spiritum Vini Camphoratum, lumbricorum, unguentum nervinum cum oleo destillato ruthae, succini, Lavendulae, Rorismarini, nec non camphora acuatam. Fomentationes conficiebamus ex radice altheae, poeoniae, iridis florentinae, herba scordii, maioranae, betonicae, salviae, summitatibus ruthae, floribus Chamoemeli et Sambuci, cum aqua et vino pro indicantium svasu in sacculis applicandis. Inter usum horum remedium et post eum purgantia, scilicet Pilulas nostras polychrestas egregias, speciesque pro decocto laxativo ordinavimus, et omnem curationem Cephalicis et sanguinem purificantibus absolvimus. Inflammationem faciei curavimus Epithematibus contra Inflammationem usualibus, ex lapide medicamentofo, Bolo, cerussa, lithargyrio, camphora, vel spiritu vini camphorato, sacharo et Magisterio saturni, aqua solani, florum sambuci, calcis vivae. Vulnura minora a globulis sclopeti, digestivis balsamicis tractavimus, et speciatim iis in locis ubi vestigia pulveris pyrii reperiabamus, mucilaginem feminis Lini et cydoniorum cum Magisterio plumbi, summopere fuisse proficuum novimus, nec non fomentationes ex radice liliorum alborum, semine lini, floribus verbasci et sambuci.

B 2

OBSER.

OBSERVATIO V.

AMPVTATIO PEDIS GANGRAENA
CORRVPTI FELICI CVM SVCCESV
PERACTA.

Iuuenis septendecim circiter annorum Pernione labo-
rans, et hunc morbum non curans, in pede sinistro,
ita poenas suae negligentiae dabat, ut Pernio in Gangrae-
nam et Sphacelum cum periculo vitae degeneraret.
Quoniam itaque dum ad hunc Iuuenem curandum, co-
gnati misericordia commoti nos invitabant, videbamus
hic adesse Gangraenam consummatam atque perfectam,
et quidem eius medelam internis aequae externis sedulo in-
stituebamus remediis, sed omnia fiebant frustra ob Sphace-
lum in summo gradu, et membri affecti iam praesentem
putredinem. Ideoque nihil amplius erat reliquum, quam
membra Sphacelati amputatio, antequam Gangraena et-
iam reliquas corporis partes cum periculo vitae aggrede-
retur. Diffiteri enim non possumus, iam adfuisse calo-
rem praeter naturalem, inquietudines, vigilias, sitim alia-
que pessima indicia. Quapropter ense rescindendam es-
se existimavimus partem hanc corporis pene demortuam,
ne reliquae atque adhuc sincerae traherentur in consen-
sum, atque hoc negotium sequenti conficiebamus modo.
Aegrotum enim post usum consuetorum medicamento-
rum, cibo et potu confortante et generoso corroboratum,
ut operationem hanc eo melius ferre posset, in sedili uti
debet

decet collocabamus, de hinc cutim sanam et adhuc integram cum carne subiecta, sursum trahebamus, et ad duorum circiter digitorum transversorum latitudinem supra locum incidendum, vinculo fortiori et torculari instrumento Chirurgis recentioribus probe noto, partem amputandam arcte constringebamus. Quibus peractis infra hanc deligationem, et inarticulationem ossis tibiae et fibulae cum osse femoris, cultro falcato et rite acuato celeriter pedem in orbe dissecabamus, periostriumque illico ab osse abradendo separabamus, atque quoniam duplex os occurrebat, carnem musculosam intermediam simul removebamus. Deinde ossa ferra acutiori praescindebamus, vasis sangviferis maioribus dissectis, intrudebamus turundas pulvere styptico optimo imbutas, carnem postea et cutim sursum retractam, uti supra diximus, applicabamus vulneri facto, eidemque pulverem stypticum et glutinantem largiter inspergebamus, et insuper magnam copiam fungi styptici lippis et tonsoribus noti applicabamus, vulnusque hoc amplum, vesica robustiori, Emplastris stypticis, defensivis, et fasciis rite deligare et munire iubebamus. Haemorrhagia quam alii in amputatione artuum adeo timent, atque ad eam ipsam impediendam etiam cauteria actualia applicare svadent, erat admodum exigua, id quod Torcularis decens applicatio efficiebat. Atque hoc pacto periculosam satis hanc operationem chirurgicam, feliciter per divinam gratiam ad finem perducebamus, hominemque hunc miserrimum e mortis faucibus eripiebamus, ita ut in praesenti vulnere rite consolidato, gangraenam amplius non timeat, sed satis bene sese habeat.

OBSEEVATIO VI.

STRVMARVM CVRATIO PER
RESOLVENTIA.

Strumæ sunt Tumores colli anterioris duri et renitentes, enormes et fere monstrosi, a lymphatico humore viscido, crasso, tenaciori, et quasi lapidescente glandulis inhaerente, eademque replete. Harum Curatio varia traditur ab auctoribus, quidam quippe easdem per specifica et Euporista curare contendunt, nempe Radice aristolochiae rotundae, succisæ, bryoniae, Scrophulariae, cineribus spongiae marinae, spongia recenti cum cerevisia cocta, et ejusmodi pulvis specificus etiam praescribitur in Pharmacopoea Augustana: Alii easdem per emollientia remove cupiunt: alii per corrosiva illas remove student etiam arsenicalia, quae tamen methodus periculo est plena. Adhuc alii ligamenta fortiora suadent, vel applicationem manus Regis Galliae. Quidam etiam eas per sectionem et extirpationem curare allaborant, quam tamen operationem non temere instituendam censet, *Iohannes Munnicks Cheirurgia ad Praxin hodiernam adornata*. Nos eiusmodi Tumores brevi temporis intervallo sequenti modo primo sensim paulatimque imminuimus, et tandem prorsus discussimus. Namque interne dedimus Tincturam antimoni ex eius sulphure praeparatam, et Rhabarbaro acuatam, vel eius loco Clyssum antimonii rite elaboratum, inter-

interpolavimus etiam Spiritum nostrum bezoardicum, sal volatile oleofum Sylvii, nec negleximus purgantia cum mercurio dulci permista, ipsaque lignorum decocta et infusa, ubi radicem bardanae efficacissimam fuisse deprehendimus. Externe Tumores hos durissimos oleo nostro polychresto, cum oleo philosophorum aucto principio illinire iussimus, quod partim leniter emollit, partim etiam discutit. Postea vero strumam fricare imperavimus spiritu nostro nervino, atque haec remedia maxime luna decrescente applicavimus, quoniam observavimus, easdem melius operari si luna versatur in decremento, quam quando crescit, et ratione illuminationis augmentatur. Imo ipsa struma, Luna crescente sensibilibus etiam absque remediorum applicatione, in maiorem excrescit molem, atque quando Lunae splendor decrementa capit, etiam imminuitur. Atque ea propter, quoniam Vermium medendi methodus majori et feliciori cum successu, in simili lunae mutatione medicamenta ordinat, et in struma quoque sideris huius nocturni efficacia, satis apparet et experientia confirmatur.

OBSERVATIO VII.

VLCVS PVLMONVM THORACEM PERFORANS.

Verbis vix satis exprimi potest, quanta sit exulcerationis in tenerrima et molli pulmonum compage vis ac potentia, quippe quae non tantummodo liquorem vitalem

lem purpureum vitio suo contaminat, atque beneficio eius circuitus totum corpus pervadit, illudque sensim paulatimque calore hecico summoque langvore conficit ac consumit; verum etiam aliquando, versus exteriora tendit ipsumque pectus corrodit. Hoc cum magno suo damno expertus est Vir quidam consistentis aetatis, ille per longum satis temporis spatium phthysi pulmonali laborans, eandemque negligens, tandem sentiebat levem pectoris tumorem, qui post modum ac si spatia intercostalia perforata fuerint, et Paracentesi tractata, in exulcerationem prorumperebat. Huic quidem morbo occasionem dederat etiam moeror quoangebatur, ex rerum domesticarum miserrimo statu, propter quem ferme in melancholiam inciderat. Hoc vero ulcus Thoracis, ex ulcere pulmonum phthysico fuisse ortum, atque cum eodem magnam habuisse communicationem, facile poteramus deprehendere, quoniam similem foetorem, qui ex ulcere pectoris exspirabat, etiam per exspirationem reddebat. Quo loco in mentem venit recordari, *Baglivum Praxi Medica* commendare Paracentesin Thoracis in hac pulmonum exulceratione, Medicosque excitare, ut ulcus hoc phthysicum per iniectiones balsamicas, putredini ulceris resistentes, abstergentes et consolidantes peracta pectoris vulneratione consolidare allaborent. Hanc vero medicinam faciendi rationem lubentes in medio relinquimus, atque cum Chirurgia infusoria et similibus operationibus pari passu ambulare, et ancipitem esse salvo tamen aliorum iudicio, arbitramur.

OBSER-

OBSERVATIO VIII.

POLYPVS PVLMONVM EXPE-
CTORATIONE REIECTVS.

Foemina primipara ingenti partus labore defatigata, et usque ad suffocationem difficultate respirandi saepius exagitata, post diem tertium expectoratione laboriosissima, atque cum ingenti et enormi Haemoptysi, nec non periculo suffocationis, reddebat concretum quoddam fibrosum multis pedibus instructum. Ex hac vero sanguinis profusione, polypique excretionem, insigne percipiebat levamen in spiritu per pulmones ducendo. Merito igitur habemus excrescentiam hanc multis pedibus gaudentem, pro polypo, eundemque in pulmonibus haesisse, facile ostendit eiusdem excretio post antecedentem difficultatem spirandi, largior et tantum non enormis Haemoptysis. Atque hic quidem polypus procul dubio per longum temporis intervallum in pulmonibus latuit, in partu vero difficili, in quo propter conatum enitendi, spiritum vehementer cohibere necesse habebat parturiens, e loco suo et sede commotus, qua data porta prorumperebat. Hoc enim naturae humanae in more est positum, ut saepe in statu praeter naturali aliquid extra naturae ordinem moliatur, et vias inusitatas quaerat. Ita experientia constat quotidiana in Empyemate, materiam purulentam, per alvum atque vias urinarias fuisse excretam. Cui *Bartholinum de insolitis partus viis* consulere place-

C

cue-

cuerit, inveniet naturae miracula in negotio partus naturalis saepe numero obvia. Observavimus etiam eiusmodi polyposam concretionem in pulmonibus equi, quam iuxta ductus et formam bronchiorum poteramus extrahere ex iisdem absque omni haemorrhagia. Conservamus de quo supra diximus, insignis longitudinis polypum, curiositatis causa in liquore, eundemque unicuique demonstrare possumus. Curationem vero integram huius casus hic apponere, hic ubi brevitatis sumus studiosi, forsitan nimis prolixum foret, quapropter tantummodo monemus, Balsamum nostrum Pectorale huic aegrotanti summopere fuisse proficuum, et vasa pulmonum dilacerata ab eruptione polypi egregie consolidasse, quoniam haec aegrotans, licet molestiam in respiratione, etiam per aliquot annos ante partum perceperat, nunc liberissime respirat, et ab omni malo liberata optime vivit.

OBSERVATIO IX.


HALO SEV CORONA SOLIS HIS
DIEBUS A NOBIS OBSERVATUS NON EST
FEBRIVM PETECHIALIVM PRODROMVS.

Die octavo Mensis Iunii, Sol cingebatur ingenti atque summe notabili Halone, in cuius centro, hoc lucidum sidus radiis obscurioribus exsplendescibat, spatium vero inter solem et coronam replebatur nube crassa, densa et opaca. Ipsa vero corona instar Iridis erat colorata, quos colores linteis tenuioribus, sericeis, nigricantibus, nec

nec non in vasis maioribus aqua pura et simplici plenis, accuratius poteramus contemplari, quam oculis nudis, utpote qui solis splendorem aegre plerumque ferre possunt. Apparebat hoc phaenomenon in coeli regione meridionali et nobis verticali, ab hora decima matutina, usque ad secundam pomeridianam, qua instante sensim evanescebat, haloque principio versus orientem, deinde etiam occidentem Solem dissipabatur atque disrumpebatur. Quoniam Praelectiones nostrae Physicae Experimentales etiam in illud incidebant tempus, poteramus hanc notabilem solis Coronam, coronae nos tunc temporis cingenti Honoratissimorum DN. Commilitonum iucundissimo spectaculo demonstrare, qui omnes cum admiratione eandem intuebantur. Postea vero multa de hoc Phaenomeno in nostra urbe circumferebantur, multique qui illud non viderant, huius rationem et causas ex nobis sciscitabantur, operae itaque pretium fore existimavimus, illud hoc loco data occasione opportuna, dum in studio observandi medico versamur memoriae prode- re, et posteritati relinquere. Rarius enim eiusmodi Halones solis observantur, qui alias circa Lunam frequen- tius, nec non circa Planetas Iovis et Veneris apparent. Causa vero eiusdem, sunt radii solis in nube opaca et densa hoc sidus cingente, retardati, concentrati et refra- cti, adeoque circulo circa solem lucido et coloribus or- nato conspicui, quam nostram opinionem, si per concate- nata quibus devincti sumus negotia licuerit, peculiari opusculo uberius exponere, et experimentis illustrare apud animum constituimus. Quantum equidem nobis con- stat, similis corona solis, hic loci per multos bene annos
non

non comparuit, atque uti ex annalibus Vitembergensibus potest confirmari, nec superiori seculo curiosi illam observarunt, sed seculo hoc antecedente. Mense enim Martii anni 1592. horis matutinis etiam nostri maiores talem cum stupore videbant solis coronam, et varia exinde ominabantur. Antiquissimi eiusmodi halonem vel plane non, vel rarissime observarunt. Epicurus enim, si *Sturmio in Physica Hypothesica novissime edita* credimus, tantum de Halone Lunae loquitur, in suis scriptis. *Seneca Quaest. Nat.* eundem a quibusdam ex Graecis prorsus negatum fuisse asseverare non dubitat, atque *Aristoteles de Meteoris* lunarem equidem Halonem crebro contingere, solarem vero perraro existimat. Si aliquis ex nobis scire cupit, num hactenus allata Solis corona, utpote quae rarius omnino est conspicua, mala quaedam praefagiat, eidem utpote in fine huius dissertationis Inauguralis constituti breviter respondemus, nos equidem hoc phaenomenon nec febrium malignarum et petechialium, nec incendiorum quasi fuisse indicium, uti equidem quidam opinantur auctores, et opinionem suam experientia confirmare volunt. *vid. Scheuchzerus Hist. Natur-Helvet. Tom. III. p. 91.* sed aliqualem sicciorem aeris temperiem portendisse, quam secuturam in nostris Lectionibus monebamus, id quod assertum etiam experientia confirmavit.

T A N T V M.



Chir. 161, 55.